



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv**

**Marchetti, Annibale**

**Florentiæ, 1687**

Capvt VI. Comparat se ad mortem, quam certo die futuram divinitus intelligit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43962**

*dissolui, melius est dissolui* : idque tantâ animi lætitiâ, orisque hilaritate significabat, quantâ qui vitam tunc primùm ingredi, non egredi meditaretur.

## CAPVT VI.

*Comparat se ad mortem, quam certo die futuram diuinitus intelligit.*



Ametſi artē benè, ac piè mortem obeundi accuratè admòdum ab alijs traditam, alij nequaquam probant, ut quam a rectâ vivendi normâ minimè diſcrepare velint : idque de-

num putent ſanctè obiſſe, quod ſanctè vixiſſe; improbare tamen ipſe non auſim, ut qui putè, quemadmodum ceterarum rerum faſtigia, ita & vitæ plura quædam, ac præcipua ornamenta decere : eòque non alienum, de vitæ faſtigio, aut coronide fabricandâ peculiaria præcepta ſancire. Ea hic nobis erunt Aloyſij exèpla, qui vitam ſanctiſimè actam præclariffimis quibuſdam eius claudendæ documentis inſignivit. Nec ab re eſſe cenſeo, loco præceptorum

exem-

Vitæ, ut ceterarum rerum, faſtigiũ ſua ornamenta decent.



exempla dare, quæ & eorum vim oculis exhibeant, & quod præcepta nequeunt, facto ipso facilitatem ostendant.

Dum igitur gravibus ijs incommodis, ac difficultatibus Aloysius premeretur, quas diuturna mala importare, ut diligentissime a Custodibus caveantur, solent; nullum unquam perturbati animi motum, aut fracti, deiectione signum edidit. Nihil rerum omnium, quæ ad cibum, aut quæ ad medicamenta pertinerent, fastidio erat: sed quousque eo morbo flagravit, quidquid aduersi occurreret, læto animo tanquam felicem æternæ gloriæ segetem, ac materiam perpetuò suscepit. Quin nec aduersum aliquid putavit, quod initum ad beatam vitam cursum secundaret, impelleretque. Quamobrem id unum in cibus, ac medicamentis fastidire nonnunquam visus est, quod mortiferam hanc vitam producerent: quemadmodum vir e nostrâ Societate gravissimus Decius cognomento Striverius testatum reliquit. Cupiditates, quæ nobis ægris laxari solent, atque insolenter efferi, ut quibus cohibendis vires, curaque deficiant; levi ipse brachio, ac diligentiam continuit, utpote longam iam pridem inedia enectas, ac debilitatas: quare nunquam earum aliquam sollicitante a-

Me-

Nihil illius in cibus, & medicamentis fastidiosum erat.

Præter hoc quod vitam producerent



Nunquā a  
Medicorū  
imperio cu-  
piditatis i-  
peru dif-  
cessit.

Nullis toto  
morbi tē-  
pore nisi  
rerum salu-  
tariū ser-  
monibus  
aures adhi-  
buit.

Silet, dum  
aliena mi-  
scentur.

Medicorum imperio discessit, licet eos, adem-  
ptā post mortis præfagium omni curandi spe,  
meros tortores haberet: quo perdifficili obe-  
dientiæ genere normam ægrotis præbuit, ad  
quam sese per id tempus queant exigere. Nul-  
lus iam inde a morbi initio ad finem usque; ni-  
si rerum salutarium colloquijs aures adhibuit:  
atque eā re quicumque salutatum illum adi-  
rent, ceteris officijs ablegatis, statim pios ali-  
quos sermones, ut eius desiderio occurrerent,  
primi aggrediebantur. Quod si quis per im-  
prudenciam aliō delaberetur, ille factō silentio  
tandiu alia omnia agitare animo videbatur,  
dum se ad pietatem, & quodammodo ad fru-  
gem bonam sermo reciperet: tum enim fron-  
te ad hilaritatem explicatā colloctioni, ac  
cœtui sese reddebat. Cuius instituti eam ro-  
gantibus causam dabat; quod licet sermones  
quidam inter bonos, pravosque medij, si usur-  
pentur in loco, probabiles sint, ac Deo mi-  
nimè ingrati, ut qui ea versent, quæ Deus  
ipse nostræ disputationi versanda tradidit: ta-  
men cum ad Mundi huius extremas veluti oras  
deventum, unde proximus ad Superos transi-  
tus instet, humana omnia oblivisci deceat: ea-  
que adhuc libenter tractare, hærentis animi  
esse, ac migrare recusantis. Videri præterea,  
cui



cui pauca momenta superent, ita parcendum, ut ex ijs nullum nisi rebus pretiosissimis, cuiusmodi sunt bona æterna, comparandis insuatur.

Vestimenta sibi interdum afferri curabat, quibus indutus lecto sese demittens, atque ob uio cuique fulcimento, magisque animo suo incumbens, pedetentim ad Christi simulacrum mensæ superpositum, gradiebatur: idque manibus complexus, sinu fovere, ac peramanter deosculari minimè cessabat. Quod pietatis officium Divæ quoque Catharinæ Senensi, aliisque Sanctis Viris, quorum icones circum habebat pensiles, præstabat. Dicenti verò cuidam ex ministris, non esse cur stratum tanto incommodo, ac periculo desereret; sibi cordi fore, quas vellet icones, ad eum deferre: atqui, inquit, non aliter Tempia salutatum ire licet: imagines istæ mihi templa referunt, earumque veneratio Christianæ militiæ stationes reddit. Quare dum ponere vestigia, tamen parum certa, valuit, nunquam se ab eiusmodi instituto abduci passus est. Quin etiam cum interdum foribus clausis liber in conclave ab arbitris esset, clam sese lecto subducens, humi stratum inter & parietem ad orandum procumbebat: ibi tandiu moratus, dum

Pia eius in Christi sanctorumque icones officia.

Clam inter lectum & parietem ad orandum procubuit.

ab



ab externo aliquo aduentante crepissent fores, quolibet circa eas strepitu audito, lectulum sollicitus repetebat. Id ubi sæpius animaduertit Valetudinarij Curator suspicatus, haud aliam, quam pietatis causam tam crebro ad surgendum impellere, occupare statuit incautum, quò eius dissimulationem, fugamque præverteret: successitque ex sententiâ; nam tacitus aliquando, ac suspenso vestigio ad fores accedens, ijs ex improvîso reclusis, genibus nixum, atque orantem deprehendit, increpîtumque pro culpæ modo, ne quid tale ultra tentaret, prohibuit. Ille, ut se manifestum haberi sensit, rubore suffusus, huiusmodi ausis in futurum detitit.

Deprehensus, increpîtus: abstinet.

Piculares apud inferos ignes non nil timer.

Cum vehementi per hos maximè dies Cælestis Patriæ caritate, & cupiditate teneretur; morsus quidam subiit, ac dubitatio, nunquid fortè vitæ superioris sibi apud inferos purgandum superesset, antequam Cælum ascenderet: quanquam nihil adeo illis detineri ignibus, quam ipsum detineri formidabat, ratus se a carcere, quam ab igne acrius urendum. Hæc reputandi interuenit Bellarminus, Vitcum in ceterâ eruditione, tum in rebus Theologicis, ut qui maximè, perfectus: eumque intuitus Aloysius percontari occupat; anne ali-



aliquos crederet rectà ad Cælum peruenire, quos purgantibus flammis minimè expiari, aliisue pænis defungi oporteret? Ego vero non paucos, inquit Bellarminus, teque unum ex illis futurum auguror. Cum enim divina Clementia tam multa apud te beneficia collocaverit, hoc tibi etiam benignè facturam puto, ut ad Superos migrantem nulla vis recto itinere prohibeat, aut cunctationem iniiciat. Hoc accepto responso tam ingenti gaudio cumulatus est, ut paulò post, digresso Bellarmino, menti a sensibus avocatae Cælestis Patriæ species unà cum immensâ Beatorum Civium gloriâ, ac felicitate obata divinitus fuerit: eaque cogitatio totam ferè noctem ita animum eius defixit, ut nunquam ad sensuum officia redire permiserit. Quantæ verò ad eum inde deliciae, ac voluptates affluxerint, nemo verbis consequi valeat: cum nec ipse Aloysius expertus explicare secus valuerit, quàm dicendo; Integram eam noctem sibi in momentum coaluisse visam. Tunc autem creditum, proditumque, diem suo funeri destinatum, Deo monstrante, liquidò dicitur: tam scilicet opportune, ut mors exhibitæ felicitatis spe condita summis eius noctis delicijs cumulus accesserit. Exinde verò palàm compluribus aperuit,

Bellar: interrogat, An quis recta Cælum subeat, auditq: se unū futurum.

A sensibus alienatus tota nocte cælestis patriæ cōspicū fruitur

Diem suæ morti destinatū certo discit.



rui, se octavo die ab eo qui Christi Corpori  
 facer esset, ab hac vitâ ad æternam migratu-  
 rum: licet quâ id ratione innotuisset, tacite  
 haberet. Verùm cum Vincentius Brunus Va-  
 letudinario Præfectus, qui & Medicinæ artem  
 callebat, tentatâ venâ pronunciaffet, haud  
 multò post e vitâ abiturum; ille hâc denun-  
 ciatione tanquam publicâ notitiâ usus, cuidam  
 ex amicis ad se ingresso; Num quid novi, in-  
 quit, maximèque iucundi ad aures meas acci-  
 derit, nosti? intra octavum diem vitæ mihi  
 excessus indictus: quare de tam singulari bene-  
 ficio gratias, quæso te, benignissimo Numini  
 recitato hymno, *Te Deum*, unâ paritèr refe-  
 ramus. Quo ritè, summâque pietate alternis  
 cantato, alius quidam eius condiscipulus ad  
 eum inuisendum subindè accessit: cui mirè hi-  
 laris, Pater mi amantissime, inquit, lætan-  
 tes imus, lætantes imus: idque ore tam sereno,  
 tantâque animi gestientis significatione  
 expressit, ut astantes ad suspiria lacrymasque  
 compulerit.

Ad mortis  
 denuncia-  
 tionem cum  
 amico hy-  
 mnum Te  
 Deum ca-  
 nit.

Quâ lætus  
 eadem de-  
 nunciatio-  
 ne.

Sub hæc diversis amicis, inter quos Io: Ba-  
 ptista Piscator Vir integerrimus, cuius alias  
 meminimus, litteras alienâ manu conscriptas  
 dedit. Eos relinquendæ mox vitæ certus amā-  
 tissimis verbis valere iubet, oratque, ut se brevi  
 ad



ad Superos profecturum fuis precibus comitentur. Litteris suum nomen inscribere haud valens, Crucem, quam semper tulerat, tanquam sui characterem, trepidâ, atque alterius ope suffultâ manus inscripsit.

Postremis hisce octo vitæ diebus eò toto pectore incubuit, ut, præcipuis quibusdam Divini cultus officijs dignus, quem rerum Dominus ad cælestis Regni consortium eveheret, inueniretur. Ac primò quidem cum Sacerdoti intimo suo familiari certum sui obitus diem significasset; ab eo enixè rogavit, ut singulis diebus tertiâ ante solem occiduum horâ septem psalmos Davidicos unâ secum recitaturus accederet. Quo tempore ocellus foribus Christi e Cruce pendentis imagine supra lectum statutâ, Socius iuxtâ procumbens sacros hymnos lentè, atque interuallis distinctos ipsius rogatu pronuntiabat: eoque interim spatio Aloysius oculis in Christi imagine defixis, ac mente ad exemplar porrectâ, quæcunque alter voce proferret, ipse intentissimo animo prosequeretur: ubi autem præclarus aliquis ad pietatem locus occurreret, hærebat nonnihil Pater, ut Aloysij voluntati, studioque gratificaretur. Eius verò pectus, ac vultus ita supernæ caritatis flammâ succendebatur, ut inspectantem al-

Y terum

Septē psalmos de poenitētia quotidie sibi recitari curat.

Pectore, ac vultu inter orandū flagrat,



terum ad uberrimas lacrymas cogeret, quæ etiam (parcius tamen, ac placidiore lapsu, uti solet liquida stillare mentis voluptas) ex eius oculis defluebant. Reliquis horis diurnis aliquid ex Biosij Psychagogiâ, aut ex D. Augustini soliloquijs, ut vocant, sive etiam ex Bernardi super Cantica commentationibus recitanti operam dabat. Crebrò etiam suavissimum illud eiusdem Bernardi Canticum, cuius initium; *Ad perennis vitæ fontem &c.* psalmosque nonullos supernæ Patriæ desideria suggerentes, uti sunt: *Latus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*: atque id generis alios lætitari sibi deposcebat.

Simul autem ab eo dictum increbuit, se diei octavo superstitem non futurum; quisque certatim tempus aucupari, quo sine arbitris alloqui, eiquè liberè aperire posset, quidquid Superis commendatum vellet. Is verò omnium negotia cum Deo, ac Cælitibus transigenda suscipere, suamque apud Superos operam eâ cunctis alacritate polliceri, ut eò se brevi affuturum minimè dubius videretur. Denique tantâ de suâ morte tranquillitate, ac securitate loquebatur, ut si de Tusculano, aliove sibi no-

Alia ad pietatē incitantia sibi recitari deprecatur.

Psal: 121.

Psal: 41.

Omnium negotia cum Superis transigenda securus suscipit.



ro, tritoque itinere verba faceret. Mortem, siquidem ita assiduæ meditationis usu, ac familiaritate mitigaverat; ut bellvæ cicuris instar non horrore, sed virili cuidam, ac generosæ voluptati esset. Gaudebant per hoc idem tempus, certabantque gravissimi Patres illi, ubicunque res posceret, ministrare: quos ille omnes tam blandè affari, tam secure, suaviterque de rebus cælestibus alloqui, ut Hieronymus Platus, qui crebrius ad eum ventitabat, præclarus ille quidem omnis integritatis ita æstimator uti Doctor, ab eo aliquando admirationis plenus egressus, disertè pronunciaverit, eâ sibi Aloysium sanctimoniam præditum videri, ut dignum censeret, cui adhuc viventi Christiana Apotheosis decerneretur. Tertio ante obitum die æneum Christi Cruci suffixi signum ex Ecclesiæ thesauris Põtificiâ Indulgentiâ plenissimè locupletatum sinu, complexuque perpetuò fovit: ac per eosdem dies nunquam non superna, ac Divina secum animo volutabat, quorum memoriâ, si quando vi morbi languesceret, brevioribus precibus per intervalla prolatis revocare studebat. Sæpius ex Ritualium librorum formulâ Christianam Religionem profitebatur: sæpius illud Apostoli usurpabat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*: quibus verbis,

Vnde in morte securitas?

Dignus cõsetur cui viventi Apotheosis decernatur.

Sæpè illud usurpat. Cupio dissolvi.

Y 2 bis,



bis, votisque, veluti impetu cum procurſa capto, arduum ad Superos iter aggrediebatur.

Alijs atq:  
alijs affir-  
mar ſe ea  
nocte mo-  
riturum.

Vbi dies a Chriſti Corporis feſto octavus il-  
luxit, ægrorum cuſtodis adiutor bene manè ad  
Aloyſium properavit, cui nihilo deterius, quin  
& exploratis omnibus, meliuſculè factum com-  
perto; en, inquit, Aloyſi adhuc nobiſcum agis,  
neque uti mente augurabas, vitâ exceſſiſti: eo  
verò aſſeverante, illum ſibi diem fore ſupremū,  
egreſſus cuſtodi ſignificat, Aloyſium in ſenten-  
tiâ perſtare, ſe hodie certo deceſſurum, tamenſi  
aliquanto meliùs illi eſſe argumenta non levia  
demonſtrent. Inde Sacerdoti ad eum ingreſſo,  
idemque iteranti, diem ſuæ morti ab ſe dictū  
adeſſe, nec eam vel eminùs ostendi; nondum,  
inquit, dies hodiernus effluxit. Planiùs id etiā  
alteri cuidam explicuit, qui cum eum offendiſ-  
ſet ex dextero femore macie, ac diuturnā in-  
id latus accubatione ulcerato vehementer labo-  
rantem, eiùſque vice commotus dixiſſet, gra-  
vem ſibi quidem eiùs interitum fore, verum  
quando diutiùs vivere aliud nihil eſſet, quàm  
diutiùs mori; longè præſtare, ut tantis aliquan-  
do incommodis, ac doloribus eximeretur: ille  
feriò, atque explicatè dixit; hâc nocte mo-  
riar. Altero occurrente minime videri eò re-  
daçtum, ut tam propè mors inſtet; iterū, ac ter-

tiò



tio eadem verba protulit : hâc nocte moriar ,  
hâc nocte moriar .

## CAPVT VII.

*Aloysij Obitus .*

Vm tempus omnè eius diei ante-  
meridianum alijs , atque alijs  
pietatis officijs exegisset; cumq;  
iterum , ac sæpius sacro Eu-  
charistici Panis Viatico a pri-  
mâ luce instrui postulasset; mē-  
ridie appetente idem cupidius flagitare , mā-  
gnisque precibus vrgere cœpit , minimè tamen  
Medicis , ac ministris audientibus : res enim ,  
cum nulla apparerent propinquæ mortis indi-  
cia , cunctationem recipere videbatur . Inte-  
rea Gregorius XIV Pont. Max. de gravi Aloy-  
sij valetudine , extremoque discrimine fortè e-  
doctus , ut suam erga eum voluntatem proba-  
ret , impertitâ illi Christi nomine omnium cri-  
minum impunitate , ultro misit , qui eum hâc de-  
re faceret certiore . Quod cum ei a Collegij  
Ministro esset renunciatum , æquè voluptati  
fuit , tam singulari beneficio cumulari , ac pu-  
dori Pontificis Maximi recordationem , vulga-

Pont. M<sup>s</sup>  
mittit, qui  
suam erga  
eum indul-  
gentiâ re-  
nunciet .